QVÆSTIO MEDICA.

PROPOSITA A CLARISSIMIS VIRIS, D. D. DECANO ET DOCTORIBVS MEDICIS COLLEGII ROTHOMAGENSIS, PRO AGGREGATIONE DISCVTIENDA.

65

An Epilepsiæ Trepanum?

CORPVS humanum divino animatum spiritu alter est in orbe descriptus orbis; in quo omnes rotantur lineæ & concurrunt fines; idem in eodem totius centrum & compendium: ita mundus quisque sibi, cælum, terra, & quicquid interiacet: ita homo neque mundi hospes neque particula, sed ipsum potius systema. Caput sublime & sphæricum cælorum instar cameratur, ut sit cerebri palatium, & hoc imperialis sedes animæ, quæ licet per divinos orbes phantasiæ, memoriæ, & rationis meditetur assiduè, in eo tamen, quæ miretur, habet plurima, quæ percipiat, pauca; materiam superabat opus! idcirco totos novem menses moratur fœtus in utero, unus ut obtineat cerebrum nobilissimum & proportione corporis amplissimum: præclarum sane, si diu sui juris & sine expensis servaretur, naturæ inventum! sed quid? dum illam arcem sapientiæ undiq; aperuit hostibus, hincque κεφαλὴν ἀποθεραπεύων νοουμένων ἢ κεφαλὴν, invidit quodammodo absolutam homini felicitatem, cum tanto intelligentiam venundedit pretio, ut sit empta dolore & sæva mercede gratia. Ille vix dum extra uteri loculos vitam auspicatur à lacrymis, ad cælum natus, depressus ad humum, capite corpusculum prægravante, eique fatali velut incumbente cucurbitula, in quam totius sine modo sagittantur injuriæ, sæpius è scopo relapsuræ perenni fere circulo calamitatis; nec alienis modo ἐγκέφαλος impetitur procellis, sed suis quoque & stupendis: hinc affectus cerebri de apicibus artis; tanquam pars princeps eaque conclusa & in angusto posita grave vitium non sustinet; hinc levis ei causa opinione nocet vehementius, effectusque causam superat, quasi ὄνειρον quid, ἄδηλον, καὶ θαυμαστὸν: Sed revera æqualis structuræ anomalia mysterij admirationem parit; friget nempe substantia & torpescit, micant ferventque arteriæ, inquieti agitantur spiritus, nervi & membranæ ex ipso sensus principio acutissime sentiunt; sic quam varia est & dissimilaris cerebri textura, tam dissentanea & implicita morborum fœtura, operosa diagnosis & curatio; præsertim ubi non simplici alteratione cruciatus, sed alienatione quadam labes contrahitur lanarum tincturæ persimilis & δυνεστιώς, qualis ei tenacissime adhærescit ex epilepsiâ a repentina invasione dictâ, convulsionum sævissimâ, qua gloriosa illa statura tam superbi animalis corruit & consternatur.

HOMO nondum homo aut patitur aut moritur, finisque ab origine pendet, bene nascens, nondum bene natus, & sic quidem, nondum securus est, licet de meliore luto nactus sit præcordia. Ex altiore sanitatis fastigio sæpe periculosior casus, quem in cunis ipsis experiuntur pueri vel una convulsione exanimati: hæc quæ motus est ἀπεριόριστος musculorum versus suum principium, quam vehemens & concitata, tam principio brevis est & fine; non ideo repletionis aut inanitionis humoralis, sed unius filia proxima ἀναθυμιάσεως in nervos sub animalis spiritus nomine glisscentis, indeque in musculos, ubi repaguli nescia vectis instar tumorem agit, dumque cæteris paribus sensim discutitur, pars gravitate sua concidit, cum rursus implerur, & attollitur; hinc mirabilis illa in motu alternatio, nec multum, si res attenditur, a terræ tremore dissona. Convulsio vel est totius corporis, vel partis cujusdam; utriusque vel κόσμος, cum ante, retro, vel æqualiter totius vel partis continua distentio fit, vel κλόνος, ubi motio reciproca, eaque vel assidua, vel periodica: hæc ipsa est epilepsia totius proinde corporis convulsio cum adjuncta sensuum & principum facultatum oblæsione; morbus est, sed a symptomate nuncupatus, non simplex aut compositus, sed multiplex isque connexus ex intemperie partis virus epilepticum colligentis, ex oppressione & quasi corrugatione cerebri idem sub vaporis specie excipientis, hinc per nervos ad musculos propagatâ. In belluas, sed acerbius sævit in homines, non tam mole perexigua, quam stupendis viribus; ideo præ cæteris ἱερὸν νόσημα & θεόπνευστον, καταληψικὸς tamen. Pro diversorio, in quo hic delitescit anguis, nata est epilepsiæ partitio in idiopathicam & sympathicam; illa frequentior, cujus causa cerebri inquilina, citius, diutius, & gravius consternat hominem, præmonitum tamen καρηβαρίᾳ, somnolentia, pallente facie, minusque expeditis sensibus, voce, & motu: hæc è variis partibus intus forisve fomitem repetit, qui dum vapescit totusque fit apogeus, præsentitur quasi aura ascendens, fallax tamen sympathiæ signum, quia æquivocum; utriusque tres assignantur gradus in modum congeneris apoplexiæ: gravissima est & consummata, ubi repente corruunt ægri vociferantes, sensus omnes interni externique abolentur, stridor est dentium, spuma prodit ex ore contagio suspecta, vehementsque est & alterna totius corporis concussio, quam torpor excipit; minus gravis est, ubi sensus unus vel alter nec omnino peçit, nec motus ita vitiatur; mitissima vertigini proxima non ante afficit quam percipiatur, tum sensuum defectio sequitur, nulla aut exigua in motu depravatio.

NEMO magis est hostis homini, quam ipse sibi & simili, dum connivente multiplici intemperantia ex alimentorum sylva & luxurie suo causam interitus excitat hospitio, fatale scilicet mortis viaticum ex minerali, vegetante, & animali imperio collectum. Sic nos non nobis mella paramus apes; imo omnium recrementa, fixa nempe varij tartari salia, è nobis per semen derivamus ad posteros: hinc, si quibusdam, non omnibus saltem obdormiscit hæreditarius character, in tertia quartave propagine vel ultra futurus vigil; quisque suos patimur manes; idcirco epilepticus sibi nihil conscius jure refundit in parentes, avos, proavosque sui casus principium; concurrit perperam luna senescente profluisque menstruis opera liberis data, hincque tentata conceptio, terror metusque cadendi prægnantis ideas epilepticas cudentis, dominatus tartari cerebrum præsertim a prima conformatione vitiantis; inde epileptica diathesis & imbecillitas καὶ ἠθικὸς, σωθηρόφος, καὶ ἐθικὸς ἀπὸ νεότητος, offensis proinde obnoxia, nec unquam felicius oppugnata, quam ubi altera in habitu infirmitas velut pons aureus sternitur, & quasi suburbium profugis per ulcera hostibus, dum tuta manent urbis pomœria; nonne satius est vitam debere morbo, molesto, sed felici præsidio? ideoque medicas adhibere manus ad vulnera pastor abnegat, naturæ alioquin beneficium perditurus; sic enim corpus maximeque ἡ ὑγιὴς μεγάπολις vindicatur ab ἀναπτῇ quadam, uligine, & putrilagine, camarinâ epilepticì fomitis & aqualiculo, qui dum latitantis in se sulphuris narcotici salisque præsertim acidi & chalcanthini operâ turgescit per vices atque fermentatur, ut pulvis pyrius ardet, rarescit, avolat, seseque per arterias exaltat in palladis arcem, tum mucilagines tartareas ad ebullitionem unâ deducit: hinc archeus in cerebro δυϊάδητος & δύπαθης ab ingrato hospite proritatur, percellitur, peneque obruitur, principum facultatum omniumque sensuum ingruit eclipsis, & ubi noxius halitus ex arteriolis conversâ fugâ per nervos agmina vertit, in musculis sufflaminatus moræque impatiens reciproce subsultat, cogitque artus suo tenore motitari; adeo vis morbi distracta per artus turbat agens animam, donec & omnino discutiatur πνεύματικήν τε ἐσίαν ἀζαφῆ αὔρᾳ, & spumæ per os rejectione, sitique succedaneâ materiæ desinat ebullitio, & fermentationis scena in aliud tempus referatur: Sic redit ad se epilepticus quasi post nubila phœbus. Apage ergo crassiorem succum cerebri thalamos ex parte obstruentem, & sub hospite exotico violatum in præcordiis ius duum viratus somnio proximum; una nempe continens causa virus est inebrians, anodynum, & quodammodo furiosum, quasi vitriolum mercuriale, quod cerebro pro suo modo substantiæ bellum indixit periodicum & quandoque typicum: hinc suas bajulant ephemerides insputati, veneno ex intervallis fastum deponente, iterumque superbiente; maxime ubi concurrit venarum ἀπόληξις, seminis menstruique suppressio, sanguinis effervescentia, bilis ærugo, lactis corruptio, &c; tum ubi luna turgescit, vernat tempestas, inæqualis & autumnalis spirat aër: non sunt tamen prætoria astrorum decreta, imo ex his quæritur, quod sæpissime intus habetur: hinc comitialis per menses promiscue & annos dormitat, qui sublimi meditatione, ira, venere, mœrore, pavore, & sybaritica ingluvie expergiscitur.

CVILIBET ætati sua est sanitas, suus & morbus; epilepsia puerorum est noverca livore venustatis; juvenibus ex intemperantia insidiatur, ætatis, loci, & victus mutatione deludenda; senes excusat, è vivis alioquin exturbat; in melancholicis ac pituitosis, maribus præsertim, & australibus incolis ultrò radices agit; quandoque tamen gravidis periculose irascitur, edito partu dormitura, aliàs invita parcit, extra conceptum adorsura: sed hic per essentiam, illic per consensum uteri stabulatur, indeque nuptias suadet vel dehortatur intelligens medicus; in crassa tenuique minerva perinde deliciatur: congenitâ, ætate, diætâ, præsidiisque vulgaribus parum minuitur, ut & connutrita fere consenescens, nisi ante vigesimum quintum annum ad veneris præludia, & menstruorum, partusve exordia emoriatur; vertiginem, incubum, & melancholiam in se facile commutat, tamque effrenis est magnus morbus, ut apoplexiâ subsequente jugulet, hydropique malis avibus succedat; gravissima, repentina, improvisa, & recenter crebroque efferata interitum comminatur, genialis alioquin fere evadit per assuetudinem; idiopathicæ sympathica periculo cedit, recenti hectica & inveterata; quælibet inter sacrum & saxum illudit medicis veneni hospitium nescientibus, doctis alioquin graviter sudantibus ex penitiore illius abditioreque capsula; eruditior est natura, tum maxime φιλόψυχρωπος, pestis vindex epilepticæ ulceribus, pustulis, scabie, quartanâ, maniâ, notâ contractionis aut paralyseos cuilibet parti impressâ, & cruentâ κόπῳ excretione. Sed quam difficilis est & parca talis naturæ dextera, tam liberalis medicinæ sive ad solatium sive ad remedium, præsertim paroxysmi tempore; modo medicus instar periti gladiatoris in arena non capiat consilium, sed citissima velitatione cum rebus ipsis deliberet; minacem ergo paroxysmum ante vertet aut demulcebit adversus archei tempestates oblatâ theriaca recente, vel potius anodyno venerei sulphuris præsidio, vel analogo, elato capite, diductis sacculo medicato dentibus, blanda artuum tensione, valida scapularum frictione, arctissimo extremorum vinculo, balanis acrioribus, apophlegmatismis, errhinis, vesicatoriis, cucurbitulis loco suo appositis, missoque è brachiis sanguine ab arteriis per circulum reduce in venas, qui idcirco propter plethoram, suppressionem, & malignam metastasim, quam operose, tam audacter inde profusus, epilepsiam ἐν πάσῃ furentem, hincque stantem præ foribus apoplexiam statuminat; alias cruori parcendum; sed juvat paroxysmo imprimis per essentiam sæviente actuale pyroticum bregmati, ut & iniosine horrore appressum, diuque gestatum; nec enim morâ epilepticus aperto medicam vulnere sentit opem.

NON minus suspecta est de epileptico vanescente insultu, quam de fugitivis hostibus victoria; hic fugam simulat, postliminio cum eadem pompa rediturus, nisi per inducias omnino quavis arte perimatur: Præ cæteris diæta conveniens & temperata requiritur, estque comedendum epileptico, ut vivat, non vivendum, ut comedat; fructus quippe & jucunditas epularum in desiderio consistit, non in satietate; vino ut obumbratur sapientia, sic eodem suscitatur epilepsia; venus, quæ nobis prælusit ad incunabula; si ripas nescit, non raro proteruit & insidiatur ad funera aut caduci rudimenta; ira, mœror, terrorque, tot hostes; aëris amica serenitas, infensa australis & inæqualis constitutio; nocet lunæ auroræque dium, palustre solum, & tetra mephitis. Dividenda ad prophylaxim verna tempestate cephalica, saphena dein menstruis vel hæmorrhoidibus cohibitis, tum vena frontis, eoque liberaliùs educendus cruor, quo plethora simplex aut cacochymica, & paroxysmi prægressa tyrannis graviùs urgent; tum diligens saburræ collectæ apparatus, ejusque iterata purgatio, sed blanda, non halituosa requiritur, donec detersâ majori ex parte sarcinâ herculeis & mochlicis, helleborismo præsertim, vis catharseos ad veneni usque diversorium pertingat; sin orbata spoliis dispereat; non ideo movenda castra, penè conquisita, si dissolventibus sympathicis è venere mutuatis, elixiribus specificis & exaltatis, diaphoreticis efficacibus, nec missis periaptis fixum μίασμα epilepticum oppugnetur: ac si fas est sanguine belluino arietare vel humano, is è vivente poculo per os ne sorbeatur; sed novâ & peritâ Chirurgiâ venis instilletur. Hinc vero longè facessat in omni epilepsia cranij perterebratio, ac nuper inter reliquias fumantis paracelsicæ conjurationis theatricâ licentiâ & audacia penè militari male adornatum emunctorium ex argentea fistula ossis excisi vicem per consolidationem subiturâ, ut morbus in paroxysmum abire nequeat: O indignum putatitio arcanorum parente ingenium, sapiens phalarismum, aquo plus impendet periculi, quam a morbo ipso! Sed data securitate, qui tum abuteretur trepano, etiam medicas exerceret inaniter artes, nescius loci venenum asservantis, an intra, an extra meninges, an altius intra medullam cerebri niduletur? an situs futurus sit terebrando conveniens: & rursus an ultro data porta fit effluxurum virus? an abcessus ante non sine periculosa alea recludendus? an diu vel aërem vel argenteæ fistulæ contactum impune experiri cerebrum possit? an eo consilio malignis halitibus exitum gestientibus relinquatur spiraculum? sed longe expedit pyroticis vel setaceis tempore paroxysmi appressis sine molestia vitæque periculo providisse.

Non ergo epilepsiæ Trepanum.

ASSERTIONES.

Quadragesimæ iejunium salubre.
Pisces carnibus salubriores.
Lumbricis mercurius.
Archipanaceæ ambitio digna medico sapiente.

PROBLEMATA.

An morbi a peregrina idea archeum proritante?
An sympathice eminus curari possint vulnera?
An in pleuritide vera & ἐπίνευσι diaphoretica?
An in asthmate emetica?

PARADOXA.

Infusio in venas chirurgica elixirum ad agoniam,
Sanguinis ad marasmum & immutandos mores.
Similia similibus curantur.
Venæ lacteæ Galeno cognitæ.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

In hîs scil. propugnandis thesibus in aula Carmelitarum hujus Vrbis die 23. & 24. mensis Martij. A. D. S. H. M. DC. LXVII. totus erit Magister PETRVS BVCQVET, Rothomagensis, Doctor Medicus Cadomensis.

0 1 2 3 4 5 (cm)